



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiis Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701

VD18 90029526

Consult. IX. De Personâ Spiritûs Sancti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45487

Patris ! O omnipotens Verbum Dei mei, à quo habeo, quod sum; perfice opus tuum, move fortiter, trahe efficaciter, flecte penitus cor hoc, quod dedisti mihi; & triumphā de eo per validos gratiarum tuarum motus, quibus cor, quantumvis durissimum, non resistat, cum hæ con-

cessæ sint ipsi ad tollendam ipsius duritiem, & flectendam rebellem ipsius voluntatem, tuæque conformandam. Ah ita fac! ut perpetuò laudem & adorem Majestatem verbi æterni velut cogitationem, velut verbum, velut fortitudinem infinitam divini Patris sui. Amen.

CONSULTATIO IX.

De Spiritu Sancto.

Joan. 3.

SI assistere cupias Consultationi pulcherrimæ, quæ unquam instituta sit in mundo, circa adorandam Spiritus Sancti personam, aperi Evangelium Sancti Joannis capite tertio, & audies ipsum Christum Jesum, de magno hoc argumento agentem cum Nicodemo, modo tam profundo, tam sublimi, tam admirabili, ut, si benè comprehendere possimus id, quod ipsi in divino hoc enuntiavit colloquio, plura sciremus de hoc, quàm omnes mundi Theologi nos possent edocere.

Omnia oracula per os æternæ hujus sapientiæ pronuntiata, adoranda sunt & stupenda; quod tamen nobis enarrat de Spiritu Sancto, habet nescio quid tam dulce, ut impossibile sit id auribus haurire, quin ineffabilem cor hauriat dulcorem, quo col-

liqueat: siquidem hic nobis loquitur ex abundantia cordis sui; loquitur nobis de Spiritu Sancto per ipsummet Spiritum Sanctum: Verum enim est, Spiritum Sanctum inhabitare cor ipsius, id est, divinam ipsius voluntatem, quæ origo est, unde procedit, & centrum, ubi quiescit. Ex voluntate hæc divinâ, in quâ ab æterno habitat, communicatus est modo quodam nobis incomprehensibili, voluntati humanæ Salvatoris in mysterio Incarnationis: Exinde diffundebat gratiam in labia ejus tantâ cum abundantia, ut omnia, quæ dicebat, fuerint verba vitæ æternæ: *Verba vitæ æternæ habes.* Audiamus cum reverentiâ admirabilem instructionem, quam dat Nicodemo, & fiamus cum ipso Discipuli divinæ hujus sapientiæ. Haud poterit.

terit fieri ; quin intellectus no-
ster totus sit illuminandus divi-
nâ cognitione , & sacris Spiri-
tûs Sancti flammis accenden-
dum cor nostrum.

Nicodemus venit ad ipsum
nocte (nec mirum est , quod ve-
nerat quærere lucem , quia in
tenebris erat) & magnâ cum
reverentiâ Ave ipsi dicto ; Do-
mine , inquit , scimus , quia à
Deo venisti Magister , nemo e-
nim potest hæc signa facere ,
quæ tu facis , nisi Deus fuerit
cum eo. JESUS CHRISTUS
respondit illi : Nisi quis rena-
tus fuerit denuò , non potest vi-
dere Regnum Dei. Ah ! quomo-
dò potero hoc facere , respon-
dit Nicodemus , cum sim senex ;
nunquid potero in ventrem ma-
tris meæ iteratò introire & ibi
renasci ?

CHRISTUS JESUS compas-
sionis affectu aspiciens pro-
fundæ ignorantix tenebras , qui-
bus ipse animus offundebatur ,
ut lumen ibi reaccenderet , ex-
planavit ipsi rem clarius , dicen-
do : Oportet te renasci ex aquâ
& Spiritu Sancto , aliàs non po-
tes introire in Regnum DEI :
Non loquor tibi de aliqua nati-
vitate carnali aut naturali , quæ
jam dudum extraxit te è sinu
matris tuæ ; sed oportet te re-
nasci vitæ profus alteri , vitæ
spirituali & omninò divinæ ,
quam obtinere non potes , nisi

à Spiritu Sancto : Nam sicut
quod natum est ex carnè , caro
est , sic quod natum est ex Spi-
ritu , Spiritus est. Et exin de-
clarat illi profundam hæc
Theologiam , quæ paucis verbis
complectitur omnia , quæcun-
que sublimia dici possunt de per-
sonâ Spiritûs Sancti. *Spiritus
ubi vult spirat ; sed nescis , unde
veniat , aut quò vadat.*

In paucis hisce verbis , si be-
nè intelligantur , continentur
omnia , quæ scitu necessaria sunt
de tertiâ Personâ adorandæ Tri-
nitatis , & reducuntur ad qua-
tuor puncta. 1. Ipsius Essentia ,
quæ nobis detegitur in ipsius
Nomine , *Spiritus ; Spiritus San-
ctus.* 2. Ipsius principium aut
origo , quæ nobis designatur per
verba hæc , *unde veniat.* 3. Missio-
nis ipsius terminus , qui nobis de-
notatur per hæc alia verba , *quò
vadat.* 4. Deniq ; admirabiles ef-
fectus , quos producit in animâ ,
ubi recipitur , qui significantur
per hæc verba , *ubi vult spirat.*
Credendum est , Christum Je-
sum , omnia hæc sublimia My-
steria Nicodemo explicasse :
Nam licet Evangelium nonnisi
pauca hæc verba , ipsi exterius
solummodò dicta commemo-
ret , dubitari tamen non potest ,
quia magna valdè interius ac-
ceperit lumina , & totus illu-
stratus redierit ex admirabili
hæc consultatione , quam ha-

buit cum illo, qui verum est lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Assume hic personam novi hujus Discipuli, & sacra Theologia, quæ felix depositaria est luminum, ac fidelis interpret dogmatum Christi JESU, loquatur tibi pro eo. Illa docebit amabiles, quas desuper in-

telligere & cognoscere poteris Veritates, quod hujus consultationis, te inter & ipsam, erit argumentum: Quidquid nôsse voluerit, ipsam interroga, & docebit te omnia; Nam sicut Philosophiæ congruit instruere homines in omnibus rebus naturalibus, sic Theologiæ institutum est, eos docere omnia, quæ capere poterunt circa res divinas ac superna: naturales.

ARGUMENTUM.

1. *Quare tertia Persona adoranda Trinitatis vocetur Spiritus Sanctus.*
2. *Qualis idæa formari debeat*

de hâc Personâ, ad distinguendum illam à duabus aliis.

3. *Ipsa est donum pretiosum nos locupletans in æternum.*

ARTICULUS I.

ANte omnia libenter scirem, quam ob rem tertia Persona adorandæ Trinitatis nuncupetur *Spiritus Sanctus*, potius quam prima aut secunda. Nonne Pater est purus Spiritus, & est infinito modo Sanctus? Nonne & Filius similiter est Spiritus infinito modo Sanctus? Unde ergo venit, quod non nisi Tertia Persona, per antonomasiam appelletur Spiritus Sanctus? Estne, quod habeat aliquam Sanctitatem particularem, quam non habeant aliæ Personæ divinæ.

Tres pulchre rationes, cur

Non, respondet tibi Theologia, non habet nisi unam ean-

demque divinitatem, unam eandemque Sanctitatem, cum Patre & Filio: ambo sunt æquè puri Spiritus, & sunt Spiritus infinito modo Sancti, sicut ipse; Et tamen non ipsi, sed Tertia tantummodò Persona insignitur Augusto hoc Nomine Spiritus Sancti: Et hoc ob tres præcipuas rationes: Prima est, quod ipse sit solus, qui producit per modum spirationis, id est, quod ipse solus sit amorosum suspirium Voluntatis Patris ac Filii; hinc videmus in Evangelio, Christum Jesum, quando primâ vice Apostolis dedit Spiritum Sanctum, insufflâsse super eos, illisque dixisse: Accipite Spiritum Sanctum;

tertia Persona Trinitatis vocatur Spiritus Sanctus.

ctum; ad innuendum illis, quod amorosum hoc voluntatis suæ suspirium ipsis communicando, quasi cor suum in ipsos voluerit effundere. Secunda ratio est, quia ipsi specialiter attribuitur justificatio peccatorum: Jam hæc justificatio duo secum affert; primum, ex carnalibus facit spirituales, ex sceleratis facit sanctos; Hinc Auctor tam pulchri operis appellatur Spiritus Sanctus. Et tertia & quidem præcipua ratio est, quandoquidem duæ aliæ, personæ divinæ habent specialia sua nomina Patris & Filii, non nisi ipsis solis convenientia, quibus à se invicem distinguantur & cognoscantur; Tertia autem Persona cum aliud particulare nomen non habeat, quo ab aliis distinguatur, portat nomen, quod proprium est Deo, quod est esse Spiritum Sanctum. Et ut ipsi approprietur hoc nomen, ita ut nulli alteri Personæ conveniat, fit quasi ex duobus non nisi unum Verbum, & dicitur Spiritus Sanctus: per quod verbum intelligimus non nisi Tertiam Personam sanctissimæ Trinitatis. Sic bene dici potest, quod Pater sit Sanctus Spiritus; sed non est Spiritus Sanctus; similiter & Filius Sanctus Spiritus, sed non est Spiritus Sanctus.

Sed quam idæam formare mihi possum de Spiritu Sancto, quæ

distinguat mihi ipsum à Patre & Filio? Nam Pater est totus Spiritus, & Filius est totus Spiritus; Pater est totus Sanctus, & Filius est totus Sanctus: Et quando concipio Sanctum Spiritum, aliud non concipio, nisi Patrem & Filium; Aliud nihil est in Deo, nisi solus ipsorum Spiritus, nec alia Sanctitas, quam ipsorum sanctitas. Quæ ratione igitur concipiam in divinitate Spiritum Sanctum, qui non sit Pater nec Filius?

Non est difficile captu, re-
spondet tibi Theologia, quod si-
cut Pater æternus contemplan-
do suam essentiam & perfectio-
nes suas infinitas; Exin sibi for-
mat perfectam imaginem, cogni-
tionis suæ terminum ac Filium
suum unigenitum; ita Pater &
Filius amando pulchritudinem
suam & Bonitatem suam infini-
tam amore reciproco & amore
infinito, producant terminum
amoris sui, quem nos appella-
mus Spiritum Sanctum; Cum
voluntas non minus potens sit,
quàm intellectus, & amor non
minus fœcundus, quàm cogni-
tio. Facile quoque captu est,
quod sicut Filius, qui est termi-
nus cognitionis Patris, est Per-
sona realiter à Patre distincta,
cùm impossibile sit, quod pro-
ducens & productus non sint,
nisi una eademque Persona; sic
etiam Spiritus Sanctus, qui est
termi-

Quomodo
concupi-
possit Spi-
ritus San-
ctus distin-
ctus à cæ-
teris perso-
nis divinis.

terminus amoris Patris & Filij, sit Persona realiter distincta à Patre & Filio, cum possibile non sit, has duas Personas unam tertiam producentes, non esse nisi unam eandemque Personam cum illa: Iterum pronum est intelligere, quod sicut Pater & Filius, licet duæ personæ realiter distinctæ, non tamen sunt nisi unus idemque Deus, eò quod tota divinitas Patris communicata sit Filio, absque ullâ vel divisione, vel multiplicatione ejusdem; sic etiam Pater & Filius & Spiritus Sanctus, licet tres personæ realiter distinctæ, non tamen sint, nisi unus & idem Deus, eò quod tota divinitas Patris & Filii communicata sit Spiritui Sancto, abs eo, quod fuerit vel divisâ vel multiplicata. Ecce tibi ergò veram idæam, quam formare tibi potes de Spiritu Sancto, quæ ipsum tibi perfectè distinguat à Patre & Filio.

Cur Spiritus Sanctus
appellatur
Filius Dei,

Potest tibi desuper oriri nova difficultas. Si Spiritus Sanctus productus est ex propriâ substantiâ Dei tam benè, quàm Filius, estque æqualis in naturâ, imò potius ejusdem naturæ cum Patre & Filio, qui se producant, quare ergò non est Filius Patris & Filii? Quid enim aliud requiritur ad habendum Filium, nisi producere sibi similem in naturâ? Magna certè videtur dif-

ficultas; sed Theologia respondet tibi, hoc ideò esse, quia Filius producitur per intellectum Patris, & Spiritus Sanctus per voluntatem Patris & Filii. Jam non propriè congruit, nisi intellectui formare conceptus suos similes objecto, quod cognoscit; hinc id, quod producit, gerit meritò Nomen Filij, quia gerit similitudinem principii se producentis, dum nascitur ex ipso. Dum Pater æternus producit verbum suum per contemplationem propriæ suæ essentiæ, impossibile est, ut hoc illi simile non sit in essentiâ & naturâ; impossibile ergò est, ut non sit ipsius Filius: Sed voluntas non ita operatur, ipsa non concipit sicut intellectus; potestque ratione quâdam dici, ipsam gignere, abs eo, quod concipiat; cum aliud non faciat, nisi quod se amando effundat erga objectum, quod amat; hinc est, quod terminus à se productus non gerat Nomen Filii, quia sic ex ipsâ nascendo non gerit similitudinem sui Principii.

Cum igitur Spiritus Sanctus non sit Filius in Divinitate, non vocat Deum Patrem suum, quantumvis esse suum à Deo recipiat. Mirabilius est, quod cum ipse sit terminus amoris Patris & Filii, reverà tamen non ametur à Patre & Filio, id est, non sit objectum amoris Patris & Filii, sed

Sp
Sa
fa
bi
fa
po
D

Spiritus
Sanctus
non amat,
nec amatur
in divinitate.

sed sit amor ipse. Potest etiam dici, quod non minus mirabile est, quod ipse non amet Patrem & Filium, id est, quod ipse non sit principium produciens amorem, sed sit terminus productus; sed Pater & Filius est, qui produciunt amorem infinitum, seque amant per Spiritum Sanctum. Sic ipse non amat, quia non est principium, quod amat; non amatur, quia non est obiectum amoris. Quantum hoc dictu prodigium, quod Spiritus Sanctus sit amor infinitus, qui non amet, nec ametur in divinitate? Et Sanctus Thomas vetat dicere, quod Pater & Filius ament Spiritum Sanctum, sed bene recipere se ament per Spiritum Sanctum. *Non amant Spiritum Sanctum, sed amant se Spiritu Sancto.*

Spiritus Sanctus facit in nobis quod facere non potest in Deo.

Nihilominus hic amoris Spiritus, qui vocare non potest Deum Patrem suum in divinitate, descendit ad nos aditurus possessionem cordium nostrorum, & hic appellat Deum Patrem suum. Sic enim nos docet Magnus Apostolus, quod Deus Pater miserit Spiritum Filii sui in corda nostra, quodque in ipso & per ipsum, velut per linguam ignitam similem illis, quæ data sunt Apostolis, *Clamamus, Abba Pater.* O Miraculum bonitatis Dei erga pauperes nos

terre Vermiculos! Amor, quo Deus fertur erga seipsum, licet sit Deus, & licet infinitus sit in sua virtute, producere non potest unicum Filium in divinitate. Et idem ipse amor dilatat & extendit bonitatem suam erga nos miseros mortales, ut nasci nos faciat veros Dei Filios, nobisque libertatem concedat, & amabilem confidentiam vocandi Deum Patrem nostrum, quasi complaceret sibi facere in nobis & per nos, quod facere non potest per seipsum. Non potest vocare Deum Patrem suum per seipsum, & appellat illum Patrem per os nostrum: Non est ipse Filius Dei in divinitate, hinc neminem vocat Patrem suum; Et tamen ipse est, qui producit omnes Filios Dei extra Deum, quia ipsi specialiter attribuitur justificatio animarum, quod justificare, est illas adoptare in Filios Dei.

Omnia tibi debeo, O Pater cœlestis, quia tu misisti mihi Filium tuum unigenitum, & tuum Spiritum Sanctum, sine quibus tam essem infelix, ut multo melius fuisset mihi perpetuo permanere in nihilo. Omnia tibi debeo, O Fili unigenite Patris mei cœlestis, quia tu descendisti ad suscipiendas in adorandâ Personâ tuâ meas miseras, ut ab illis me liberares, & dare

Debemus omnia tribus divinis Personis.

E c voluisti

voluisti propriam vitam tuam, ut mihi acquireret aeternam. Sed tibi quoque omnia debeo, O adorande Spiritus Sancte, quia tu elevasti me ad sublimem dignitatem Filii Dei, & inutilis mihi foret Redemptoris mei passio, nisi per gratiam adoptionis filiorum Dei applicaretur nobis, quod tibi magis specialiter, quam aliis Personis divinis attribuitur. O quam robusta & fortia sunt vincula, quae inseparabiliter nos alligant adorandis tribus Personis superadorandae *Trinitatis*! sed videtur, Spiritum Sanctum specialiter, qui sacer est nodus Patris & Filii in divinitate, facere quoque & constituere amabile vinculum, quo Filii adoptivi alligantur Patri suo Coelesti. Veni Sancte Spiritus, & integram cape possessionem voluntatum nostrarum: Veni vinculum adorandum, & alliga tam fortiter corda nostra amoris Patris nostri Coelestis, ut nunquam nec momento amplius separentur ab illo.

Spiritus Sanctus non donatus est divinis personis, sed nobis,

Quis est, cujus cor non dilatatur praegaudio, dum Ecclesiam percipit cantantem mysteriosa illa verba ad honorem Spiritus Sancti. *Qui diceris Paraclitus, Altissimi Donum Dei;* Ubi vocat ipsum consolatorem suum & pretiosum Altissimi Do-

num. Verum est, Spiritum Sanctum donum esse pretii infiniti; sed donum non est, quod Pater faciat Filio suo, vel Filius largiatur Patri suo in divinitate, neque enim unus potest alteri Spiritum Sanctum dono dare; sed ambo possident ipsum pro seipsis, velut proprium suum thesaurum, quem aequaliter producant ab eodem instanti aeterno, eadem voluntate sibi communi. Sed nobis miseris mortalibus ingens hoc tribuunt donum, & tribuunt nobis illud modo tam officioso, comi ac benigno, ut dum relinquunt nobis libertatem illud vel acceptandi vel recusandi, juxta placitum & arbitrium nostrum, sibi ipsis libertatem non relinquunt, nobis id auferendi, quando semel id nobis contulerunt.

Quantum hoc prodigium muneri tam prodigi, quod probe perpensum extra seipsam abripere deberet animam! Spiritus Sanctus thesaurus est pretii infiniti; si per impossibile personae divinae sibi invicem largiri possent dona gratuita, ipsarum digna magnitudine, nil pretiosius, nil locupletius largiri possent, quam Spiritum Sanctum. Et verum sit, illas id ipsum nobis conferre donum, nobis qui nihil sumus, nisi parva nihila, qua-

Pretiositas & facilitas magni hujus doni.

Nos mur pendetra quam us no det.

quæ nullius sunt meriti : multum foret, si nobis id conferrent post longas precum instantias & fusas torrentis instar lacrymas ; sed multò plus faciunt ; præveniunt nos, nobisque benignitate prorsus liberali id offerunt. Nimis hoc parum est dicere, quod nobis id offerant, sollicitant nos ad id recipiendum, nec hoc contentæ urgent nos, precantur nos, & abs intermissione & feriâ ferunt cordis nostri portam, validis gratiarum suarum impulsibus : quasi Deus obtestari nos vellet per intimos intensissimi amoris sui affectus, per amantissimi cordis sui teneritudinem, ut aperiamus ipsi cor nostrum, ad recipiendum in eo divinum suum Spiritum. Desiderat id ardentissimè, ita impulsus ab infinitâ suâ Bonitate ; & nihilominus relinquit nobis libertatem vel concedendi sibi id, vel denegandi, quod à nobis petit, nunquam, nunquam sibi usurpare quidpiam volens ex jure libertatis, quâ nos donavit.

Nos fruimur studeamus libere, quam Deus non habet.

Quis mente assequatur excessum dulcedinis ac benignitatis, quâ nobiscum agit ? Relinquit nobis libertatem, quam sibi ipsi non relinquit. Nam si consensum præbeam ipsius gratiæ, ipsi que amem, sicut desiderat, non est in libertate ejus dene-

gandi mihi Sanctum suum Spiritum : Et si mihi semel jam illum donavit, non est illi liberum eundem mihi denuò auferre, nisi ipsemet illum è corde meo per peccatum expellam. Tenetur ad hoc vi pollicitationis suæ nobis factæ hoc verborum tenore : *Si quis diligit me, Joan. 14: diligitur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* An igitur tam stupenda mihi potestas sit in Cor Dei, ut penes me sit intimâ ipsius potiri amicitia, modò assentiri velim gratiæ ipsius me præveniendi, & ut ipsum amem, impellenti ? Et si ipsum amem, denegare mihi non possit amorem suum, nec Sanctum suum Spiritum ; & ipse eandem non habeat potestatem in voluntatem meam ? Verùm quamvis sciam, quod amet me, & ipse vicissim desideret amari à me, semper in meo est arbitrio, denegandi ipsi amorem meum ; Et quando incepero amare ipsum, desistere possum omni, quo liberit, momento : Et quando etiam arctissimum cum ipso contraxissem amicitia vinculum, nunquam non id rumpere possum, quando voluero, & renuntiare ipsius amicitia, etiamsi id ipse noluerit.

O Deus amoris, quàm insolentem ac inusitatam mihi relinquit

E c 2

Mucanda
foret liber-
tas nostra
cu n' necel-
sitate Dei.

linquis hic libertatem ! Mute-
mus, Domine, mutemus vices,
nolo hanc libertatem tibi cedo
illam. Malo te libertate frui,
me non amandi tunc, quando
te amo, & Sanctum tuum Spi-
ritum mihi semel concessum
auferendi, quando tibi placu-
erit: probè enim novi, te mise-
ricordissimè usurum libertate
tuâ; sed illam ne relinuas mi-
hi, quâ negare tibi possim amo-
rem meum, vel eundem tibi se-

mel concessum auferre. Con-
stringe cor meum & alliga vo-
luntatem meam; utere absolu-
tâ tuâ potestate erga illam, sic-
quæ affixam tibi serua, ut nun-
quam amplius possit separari à
te. Nolo unquam aliam liberta-
tem, quàm amandi te ex totâ
amplitudine voluntatis meæ.
Ah si hanc in infinitum dilatare
possem, ut tantum te amare
mihi liceat, quantum es ama-
bilis?

ARGUMENTUM.

1. Spiritus Sanctus procedit ex
Patre & Filio.

2. Historia separationis Ecclesie
Orientalis, quem credere no-
luit maximo suo malo.

ARTICULUS II.

Spiritus
Sanctus
procedit
ex Patre
& Filio.

EX his, quæ dixi, concepisti
forsan tenuem aliquam idæ-
am circa Personam Spiritus San-
cti: *Sed nescis, unde veniat.*
Ventus est Symbolum Spiritus
Sancti, juxta mentem plurium
sacrorum Doctorum: Hinc est,
quod in die Pentecostes descen-
derit velut ventus vehemens
super Apostolos. Jam nunquam
omnes Philosophi scire pro cer-
to potuerunt originem vento-
rum; nec unquam omnes ho-
mines cum certitudine aliquâ
potuissent cognoscere, quænam
sit origo & principium Spiritus
Sancti, nisi fides nos doceret,
velut articulum nostri Symboli,

quod procedat è Patre & Filio,
veluti ex unico solo Principio:
Qui ex Patre Filioque procedit.
Et hic reciprocus Patris erga su-
um Filium unigenitum, & Filii
unigeniti erga suum Patrem est
amor. Sanctus Augustinus hu-
jus amoris pulchritudine totus
illectus, ignorat, quomodo ip-
sum exprimere debeat; modò
dicit, quod sit dulcedo ineffa-
bilis Patris & Filii: *Genitoris ge-
nitique suavitas.* Modò, quod
sit infinitus júbilus in corde ip-
sorum, qui voluptate ac gaudio
illos repleat; & modò, quod sit
sacrum vinculum, quo invicem
uniantur; & denique quod sit
amor infinitus Patris & Filii.

Sed

Quare sit
tantum
unus Spi-
ritus San-
ctus,

Sed quia ambo non habent nisi unam eandemque essentiam, unam eandemque voluntatem, non producant nisi unum amorem, unum Spiritum Sanctum, qui est ejusdem substantiæ, & unus cum eis Deus. Pater & Filius communicant totum suum esse Spiritui Sancto, & reservant id totum integrum sibi ipsis, ita ut communicando totum, quod habent, nihil perdant ex eo. Spiritus Sanctus accipit totum, quod habet, à Patre & Filio, & tamen nihil illis debet, nec est ipsis in minimo obstructus. Impossibile est, ut sit sine ipsis, & tamen ipsorum non indiget. Verum quidem est, quod habeant supremam auctoritatem in ipsum, quia sunt origo ipsius, & habent omnem potestatem ipsum mittendi, ipsumque nobis donandi; & tamen non dependet ab ipsis, quia non est ipsis inferior; nec habent ipsi aliquam superioritatem in eum, cum omnes tres non habeant, nisi eandem essentiam, & eandem divinitatem.

Quare ratio-
ne Spiritus
Sanctus
procedat
ex Patre
& Filio,

Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio; sed aliqui dicunt, quod procedat à Patre per Filium; alii quod procedat à Filio per Patrem. Hi ambo dicunt veritatem. Illi, qui dicunt, quod procedat à Patre per Filium, intelligunt, quod cum co-

gnitio sit necessaria ad amorem, si per impossibile Pater non haberet perfectissimam cognitionem infinitarum suarum perfectionum, amare illas non posset amore infinito. Jam ipse habet perfectam hanc cognitionem per Filium suum unigenitum: per ipsum ergo & cum ipso producit amorem infinitum, qui est Spiritus Sanctus; ideoque verum est dicere, quod procedat à Patre per Filium. Illi autem, qui dicunt, quod procedit à Filio per Patrem, intelligunt, quod, cum necessarium sit esse intellectivum & voluntas ad amandum, Filius accipiat totum suum esse & voluntatem suam à Patre suo. Cum ergo non contribuat ad productionem Spiritus Sancti, nisi quod à Patre suo divina accepit, verum erit dicere, quod procedat à Filio per Patrem.

Omnes articuli nostræ fidei, præcipue concernentes Mysteriorum Sanctissimæ Trinitatis, probari non possunt ratione. Nihilominus reddi potest ratio hæc solida, quare necesse sit procedere Spiritum Sanctum tam à Filio, quam à Patre; eò quod realiter tam à Filio quam à Patre distinguatur. Jam certum est, distinctionem realem inter personas divinas non consistere in alio, quam in oppositione relativa

Ratio, ob
quam Spi-
ritus San-
ctus ex
Patre &
Filio pro-
cedere de-
beat.

Et 3. lativâ

lativâ & necessariâ, quæ necessariò admittenda est inter personam, quæ producit, & illam, quæ producitur, sicut inter Patrem & Filium. Si ergò Spiritus Sanctus non esset productus, quàm à solo Patre, non esset realiter distinctus, quàm à solo Patre; & si non esset productus à Filio, nullâ ratione esset distinctus à Filio. Et dicere, quod non sit æquè realiter distinctus à Filio, sicut distinctus est à Patre, magna foret hæresis. Dicendum igitur, & est articulus fidei, quod æqualiter procedat ex Patre & Filio, velut uno solo principio: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

Historia hæreseos orientali-um circa processio-nem Spiritus Sancti.

Diximus paulò ante, Ventum esse solum Spiritus Sancti. Sed nunquam ventorum furor tam sævam excitavit tempestatem in mari, quantas in Ecclesiâ Dei, quæstio de Origine Spiritus Sancti, peperit turbationes, procellas ac funesta naufragia.

Inceperunt in quarto Sæculo circa annum trecentesimo sexagesimum, dum Macedonius eò proruit impietatis, ut publicè contra divinitatem Spiritus Sancti concionari præsumperit, docendo, quod Deus non sit, sicut Pater & Filius, quodque solummodò sit Patris & Filii servus & famulus; uti referunt

Basil. Epist. 78. Epiph.

S. Basilii, Sanctus Epiphanius,

Sanctus Augustinus & plures alii contra hunc Hæresiarcham. Huic medendo errori congregavit Ecclesia Concilium Constantinopolitanum, quod fuit secundum universale in Ecclesiâ celebratum; ubi Macedonius fuit condemnatus velut perniciosus hæreticus, excommunicatus, abscissus à Corpore Ecclesiæ; Et tota congregata Ecclesia veluti articulum fidei decidit, quod Spiritus Sanctus idem sit Deus cum Patre & Filio, qui totam suam essentiam divinam eidem communicando, ipsum ab æterno producant unâ eademque voluntate. Et ut omnes fideles hunc fidei articulum sicut cæteros omnes reciperent Symbolo, quod compositum est in primo Concilio universali Nicæno ad defendendam divinitatem Filii Dei contra hæresin Arianorum, grandia hæc verba, quæ triumphare faciunt divinitatem Spiritus Sancti adversus hæresin Macedonii: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem.* Hæresiarcha defendere volebat, quod Spiritus Sanctus esset servus; Et Ecclesia ipsum condemnans, velut articulum fidei declarat, quod sit Dominus vivificans.

Sed prima hæc hæresis contra Spiritum Sanctum, quæ videbatur monstrum jam contritum

Consule Gammach. 1. part. q. 35. ca. p. 1.

tritum in ortu suo, facta est scaturigo infinitarum majorum adversitatum, quæ affligerunt Ecclesiam & hodie adhuc discindunt. Aliquot annis post Concilium Constantinopolitanum & condemnationem Macedonii, Anno circiter 430. Domini nostri concitavit orcus aliam magis perniciosam hæresin contra Spiritum Sanctum, cujus Theodoretus primus auctor fuisse creditur. Hæc hæresis docebat, Spiritum Sanctum procedere solummodo à Patre & non à Filio.

Hæresis
orientalis
sunt ex-
communi-
cati à Papa.

Benè dixit Evangelium, quod qui peccaverit contra Spiritum Sanctum, remittendum nunquam ipsi sit, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Vix credi potest, quantâ proterviâ Græci huic semper errori adhæserint, quod nempè Spiritus Sanctus procedat à solo Patre & non à Filio, contra communem sensum Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Concilio Nicæno controversiam hanc dirimènte hæc Symbolo adjunxerat verba: *Qui ex Patre Filioque procedit;* nec unquam cedere voluerunt decisioni Concilii: sed sicut scriptum est, quod superbia inimicorum Dei ascendat semper, eoque insolentia hæreticorum orientalium devoluta est, circa annum millesimum quinquagesimum quartum. salutis.

nostræ, ut Michaël Patriarcha Constantinopolitanus, confisus & innixus potentiae Imperatoris Constantini I X. quem nuncupabant Monomachum excommunicare ausus fuerit Pontificem Romanum successorem Petri & Caput totius Ecclesiæ, declarando ipsum hæreticum, quod crederet, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio.

Nihilominus, quia magna crimina horrore sunt universo mundo, quin & ipsis committentibus illa, hinc Constantinus Imperator Monomachus sibi ipsi condonare non potuit illud à Patriarchâ suo patratum, cujus ipse ex parte causa fuerat: conscientiam namque tam acriter fuit stimulatus, ut, quoniam hujus angores sufferre non poterat, agnito confestim errore poenitentiam egerit, & abjuratâ hæresi, Catholicam, Apostolicam, Romanam fidem amplexus & professus, tandem feliciter tanquam verus Ecclesiæ filius cesserit fati. Verùm Eheu! tam boni Principis successores haudquaquam succedebant ipsi in pietate: siquidem in hæresin, quam ipse abjuraverat, relapsi, in Thronum reposuerunt hoc monstrum, quod ipse calcaverat pedibus, illudque pertinaciter defenderunt ac propugnârunt, usque ad annum millesimum,

Imperator
convertitur & successores
ejus pervertuntur.

mum, quadringentesimum, trigessimum Nonum; quoad Deum audiens ingemiscens numerofam piarum animarum frequentiam, quam abs intermissione pro pace & unione Ecclesiae ipsum deprecabantur, aliquos animavit ad extrema tendenda, quibus id effectum est, ut congregatum fuerit Concilium Florentinum sub Papâ Eugenio quarto.

Tota Ecclesia congregata in Concilio Florentino.

Pulcherrimum visu spectaculum fuit, aspicere in hoc Concilio Ecclesiam orientalem, quæ occidentalem visitabat in iura cum illâ reconciliationem. Orientis Imperator Joannes Palæologus adfuit in personâ cum ingenti numero Patriarcharum, Archi-Episcoporum, Episcoporum, Doctorum totius Ecclesiae Orientalis. Ubi post plures consultationes & diurnas disceptationes Latinos inter & Græcos, post fervidas preces & cœlestium gratiarum invocationem, ab universo Concilio determinatum fuit, articulum fidei esse ad salutem necessarium, credere, quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat. Huic confessioni fidei omnes subscripserunt, tam Latini, quam Græci, cum Imperatore, Joanne Palæologo: Confirmarunt id ipsum gratiæ Deo reddi, universale gaudium in omnibus Concilii Patribus, Pax & Generalis unio

in totâ Ecclesiâ promulgata, & Spiritus Sanctus, qui exitu felici triumphabat super omnes fidelium animas.

Verum, o Deus! quantæ molis est; demoliri & extinguere hæresim semel vehementer accensam, quin aliqua remaneat scintilla, non ægrè magnum incendium reaccensura. Invenire erat tumidos quosdam animos, qui decisioni universalis Concilii acquiescere nolentes, ex arrogantia quâdam luciferianâ, particulare suum iudicium anteferre non timuerunt iudicio Ecclesiae totius. Præcipue certus quidam Marcus, Episcopus Ephesus, qui plus nimis sibi tribuens, disceptationem susceperat pro Græcis contra Latinos, qui devictum se videns, nec tulisse se, quod quærebat, rabie vix non crepuit, quia credere noluit: quodque calamitati ipsius accessit, ipsumque in extremam desperationem egit præcipitem, est, quod Bassarionem Episcopum Nicenum, Cardinalitâ dignitate à Summo Pontifice honoratum & auctum videre debuit, se neglecto & despecto.

Prò! quàm sæpè, invitâ se prostrata surgit superbia, sequitur adversus seipsam, ad extremas devoluta angustias! Infelicissimus hic mortalium in suam

Hæresis eo suscitatur.

Pap
rat
ni
en
per
du
ho
air

Quid pe
sit ma
unice
taxat
munis

suam redux terram, velut a vernali aëstro suam statuit stabilitie hæresim, cunctis cæteris reluctans Episcopis, despicatui habens, decisionem à Concilio factam: Et tam infelici id effecit eventu, ut decem annis vix elapsis, nulla fieret amplius Concilii Florentini mentio, nisi ut ponderetur flocci, nec volitaret amplius rumor de Conversione Orientalium, nec de pace, quam per suam reunionem cum Ecclesiâ Catholicâ firmaverant; sed hæresis primas suas resumpsit vires, & totus Oriens suâ involutus caligine eclipsabatur ut anre.

Justitia Dei, quàm longanimis tua est patientia! sed & quàm terribilia tua sunt supplicia, dum eò devolveris, ut opere compleas! An conqueri Orientales poterunt de indulgentiâ ac bonitate Patris misericordiarum, ultra octingentos annos expectati ad pœnitentiam? Non solummodò autem expectati sunt, sed vocati, invitati, flagitati modis efficacibus exterius ipsos sollicitantibus: Quis autem norit, quantis, quàmque validis gratiæ stimulis intus fuerint agitati, ad amplectendam postliminò cum Ecclesiâ unionem, omnia invitabant ipsos, ut reverterentur ad Deum; ita ut tribus annis ante extremam ipso-

rum calamitatem, Papa Nicolaus V, tunc ad Clavum Ecclesiæ sedens, calamum suum acuens direxerit ad ipsos Epistolam zelo pastorali, & pulcherrimis, quas excogitare poterat, rationibus instructam, quâ exstimulabat ipsos ad reconciliationem & pacem cum Ecclesiâ ineundam. Melius dicerem, quod illis annuntiaverit vaticinium, terribilium sibi imminentiū calamitatum, si abnuerent conversionem: siquidem Spiritu Dei impulsus urgebat ipsos fortiter parabolâ ficus infructuosæ, quam Paterfamilias expectaverat tribus annis, ut videret, an fructum afferret, quo non allato mandaverat succidi & in ignem mitti, quod inutiliter terram occuparet. Adhuc tres annos, dicebat illis, adhuc tres annos, patienter expectabit Cœlum fructum conversionis vestræ; sed elapsis annis tribus nolite ultra expectare misericordiam.

Videri poterat, hoc fuisse vaticinium, quod orientalibus intimabat Deus per magni hujus Papæ calamum, siquidem tribus annis post exaratam hanc Epistolam revolutis, anno nempe à celebratione Concilii Florentini duodecimo, sese extendit manus Domini ad castigandos severissimè protervos istos,

F f hoc

Occupatio
Constantinopolis per
Machometum II.

Papa exarat vaticinium orientalibus per inodum Exhortationis.

hoc suum Concilium executioni mandans mediante ambitione Machometi secundi Turcarum Tyranni, cujus Sceptro ad deprimendam rebellium horum arrogantiam subdidit orientis imperium. Cingebat is obsidione urbem Imperialem Constantinopolim anno millesimo quadringentesimo secundo, caput conscendit Thronum imperii, in suam redigit ditionem, ipsam secundam festorum Pentecostalium feriã, uti refert Sabellicus; ad demonstrandum orbi universo Spiritum Sanctum, cujus honori tunc universa litabat Ecclesia, acceptæ ab Orientalibus injuriæ ac blasphemix exigere pœnas. Nonne plus lucri tulissent, si obtinuerant Ecclesiã, quæ ipsos ceu filios suo fovisset sinu, ipsi; abblandiens illasam illis suam conservasset libertatem, cum modò sub tyrannicã Machometi servitute ingemiscere cogantur? Hæresis ejecit ipsos è sinu Ecclesiæ, & Dei vindicta è focus & fanis, è tectis & aris, tum facultatibus, tum libertate suã turpiter exutos, magnificum Sanctæ Sophiæ templum, quod alterum, post Salomonis fanum, videri poterat mundi prodigium, in Machometanum abiit delubrum, in quo profana Pseudoprophetæ celebrantur myste-

ria. Et tota orientalis Ecclesia, alias pietatis ac Religionis sedes, regioque sanctorum, in quã omnia prima celebrata fuerent generalia Concilia, ubi fides Clarissimos diffundebat splendor, tantã modò involvitur confusione ac desolatione, ut complectatur partim Mahumeti assecras, partim hæresi, partim schismate infectos, & tota sub geminatã gemat captivitate, quã nunquam abs magno sit exsolvenda prodigio.

Lamentandum tibi hoc videtur, & planè est. Sed quibus destinatae sunt minus placabiles vindictæ Coeli, nisi peccantibus in Spiritum Sanctum. Judæi, qui crucifixerunt Filium Dei, ultra sæcula bis octona jam sentiunt flagella persequentis terrificæ justitiæ divinæ; Et orientales, qui blasphemarunt in Spiritum Sanctum, tot jam sæculis divinã prostrati manu sub turpi & sæva lamentantur servitute. Nilominus verum est, utriusque hanc haud levem calamitatem, non esse nisi umbram respectu calamitatis infinito modo majoris, magisque funestæ, quã involutum se videt Christianus, qui, dum exterius profitetur, adorare se Christum Jesum, interius in corde suo ipsum crucifigit, qui que, dum verbis contestatur, se verè credere in Spiritum

væ illis,
qui Deum
celinquunt
& iphus
Ecclesiam,

Peccare in
Spiritum
Sanctum
est crimen
irremissibile.

Mos
templi
Spiritus
Sanctus

ritum Sanctum cum Ecclesia, illum suo expellit animo, ut dominari illic permittat Spiritum mundi, more paganorum.

Christiani
operibus
ostendunt
se non cre-
dere in
Spiritum
Sanctum.

Quid prodest ipsi dicere; Credo in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem; dum ipsa tantum adorandi huius Spiritus, quem suum agnoscit Deum, præferat respectum, ut non nisi in omnibus se dirigi sinat à Spiritu naturæ, à passionum suarum impetu, à sensuum suorum propensione, & quod pejus est, sæpè sæpius à Spiritus maligni suggestionem? Quid tandem faciet ex illo occultus hic Spiritus Sancti in ipsius corde contemptus? facit certè ex ipso mancipium carnis, mundi, & diaboli, quibus animæ suæ permittit dominium. Et tamen plerique Christianorum sic vivunt, ut solis exterius labris profiteantur, se credere in Spi-

ritum Sanctum, opere autem ipso se tales exhibeant, unde non immeritò argui possit, ipsos nec minimam Spiritus Sancti habere cognitionem. Si ore auderent evomere: Non credo in Spiritum Sanctum, crederent se abominandam admisisse hæresim, evomuisse blasphemiam; dum autem ipsis operibus id profitentur, ducendo vitam prorsus carnalem & animale, nullum exinde concipiunt horrorem. Et tamen quis abnuet, quod si blasphemia ejusmodi verbis commissa Cœli mereretur fulmina, illa commissa factis, quæ longè peior est, majoribus sit digna DEI suppliciis? Sed quia sic mos inolevit, non est, qui sumat id cordi. O mi Deus, quàm metuendum nobis est, alium, quàm Spiritum Sanctum in nostrâ dominari animâ! *Spiritum Sanctum Tuum Ne Auferas A Me.*

ARGUMENTUM.

1. Spiritus Sanctus procedit è Corde Patris & Filii, ut regnet in cordibus nostris.

2. Tres Dispositiones ad illum recipiendum & conservandum necessariae.

ARTICULUS III.

Mos sumus
templum
Spiritus
Sancti.

Nosse non sufficit, unde veniat Spiritus Sanctus; sed nosse quoque oportet, quò vadat: *Nescis unde veniat, aut*

quò vadat. Id est, non sufficit scire, quòdam sit ipsius Principium, sed sciendum quoque est, quis sit ipsius terminus. Procedit ex corde Patris &

F f 2

Filii

Filii; Ecce tibi ipſius principium: Vadit, ut quieſcat in cordibus noſtris, velut in ſacratiori Tabernaculo, quod habeat extra Deum; Ecce tibi ejuſdem terminum. Naturæ diſpoſitio oſtendit, Corpus noſtrum, quod totum materiale eſt, præparatum eſſe à manibus Dei, ut palatium ſit animæ noſtræ, quæ tota ſpiritualis eſt: Sed diſpoſitio gratiæ deſtinat id uſui infinito modo nobiliori: Magnus cum Apoſtolus aſſeverat nobis, quod Deus eo nomine creaverit animam, ut eſſet templum Spiritûs Sancti: *Nefciſtis, inquit, quia Corpora veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti, qui habitat in vobis.* Non ſolum in animabus juſtorum, quas ſanctificat per ſuam gratiam, ſed etiam habitat in ipſorum corporibus, quæ ſua dignetur præſentiâ. O Deus! ſi capere poſſemus felicitatem ſummam, quâ nos beat tantipreſentia hoſpitiſ, ſacro quodam corripemur horrore, aſpiciendo nos velut viva præſentis Divinitatis tabernacula; invigilaremus continuo nobis ipſis, ne minimâ inquinaremus Templum Dei; Et gaudium, quo perfunderemur, memores, Spiritum Sanctum, qui infinitus eſt Dei Jubiſus, reipſâ implere animam noſtram & Corpora noſtra, huncque eſſe articulum Fidei,

cum Sacer codex expreſſis hoſ verbis dicaat, haud ægrè perſuaderet nobis contemptum omnium gaudiorum ac vanitatem hujus mundi.

Siquidem communis ſententia eſt omnium Theologorum hæc in re ad hærentium S. Thomæ, quod Perſona Spiritûs Sancti reipſâ detur animæ, quando adoptatur in filiam Dei per infuſionem gratiæ ſanctificantis, ſicut Perſona Filij data fuit ſanctiſſimæ Virgini quando honorata fuit dignitate Maris Dei in myſterio Incarnationis; Et hoc deſumunt ex verbis Magni Apoſtoli ad Romanos ſcribentis: *Charitas Dei diſfuſa eſt in Cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Verum igitur eſt, dicunt ipſi, gratiam ſanctificantem, quæ datur animæ juſtæ, non eſſe ſolum Favorem Spiritûs Sancti; ſed eſſe donum, quod datorem ipſum ſecum ferat, propriam Perſonam Spiritûs Sancti in animâ habitantem; Et conſequenter verum eſt, perſonam Spiritûs Sancti tam verè habitare in hæc animâ, quamdiu gratiam conſervat; quàm verè Perſona verbi habitavit in Beatiffimâ Virgine, quamdiu geſtavit ipſum in caſtiſſimo ſuo ventre.

Non ſolum autem defendunt hanc veritatem velut firmiſſimam

Perſona Spiritûs Sancti reipſâ datur anima juſtæ.

Cap. 10

Spiritus Sanctus obligatum

manere in
animâ, quæ
habet gra-
tiam,

D Th 1. p.
q. 4. a. 3.

manere in animâ, quæ habet gratiam, & certissimam; sed eous- que progrediuntur, ut dicant, quod si per impossibile Persona Spiritus Sancti non esset immensa, sed solum habitaret in Cælo, teneretur inde descen- dere, ad habitandum in beatâ hâc animâ, cum quâ sacrum Charitatis vinculum strictissimè ipsum tenet legatum; cum sint velut Sponsus & Sponsa sub uno habitantes recto: *Erunt duo in Carne unâ.* Unum solum Cor- pus animatum à duobus Spiri- tibus, uno humano, & altero divino. Quanta nobis gloria, quantum honoris fastigium, dum dicitur, quod Spiritus Sanctus, ille ipse ineffabilis nodus, qui tam dulciter, quam fortiter Pa- trem æternum devincit cum Fi- lio suo unigenito in divinitate, sit quoque sacrum vinculum, quod filios adoptivos Dei con- jungit cum Patre suo Cœlesti, quamdiu hâc sorte fruuntur, ut vivant in ipsius gratia, in ipsius amore. O Deus amoris! quâ igitur reverentiâ prosequenda est anima, quæ sic repleta est Spiri- tu Dei? Nonne eadem exhiben- da i si veneratio, quæ exhibe- tur tabernaculo, ubi repositum est adorandum Corpus Christi Jesu in sanctissimo Sacramento? vel quæ exhibita fuit Beatissimæ Virgini, quamdiu Filium DEI unigenitum in castissimis suis

portavit visceribus, eò quod hæc anima tota repleta sit per- sona Spiritus Sancti, qui est idem cum Filio Dei.

Sed sicut decebat Beatissimam Virginem plenam esse omni gratiâ, ut condignè reciperet adorandam personam Filii Dei in purissimo sinu suo: sic etiam oportet animam pluribus ador- natam esse virtutibus, si dignè disponere se velit ad recipien- dam & conservandam in se per- sonam Spiritus Sancti. Non lo- quor de sanctâ Charitate, quæ Regina est virtutum, eò quod ille ipse hanc offerat & introdu- cat in animam, velut ultimam necessariam dispositionem ad se recipiendum. Sed præcipuè ad- nitendum est, ut tres speciatim virtutes habeantur. Prima est humilitas, secunda est puritas, & tertia est pax, vel tranquilli- tas interior, quæ non tam est virtus, quam fructus plurium virtutum.

1. Anima non potest esse ha- bitaculum Spiritus Sancti, nisi sit humillima: siquidem Deus ip- se id claris exponit verbis in Scri- pturâ: *Super quem Requiescit Spiritus meus, nisi super Humi- lem?* Et alibi dicit, *quod super- bis resistat, & humilibus deo gratiam.* Animus elatus ac ti- midus pro domo luciferi, qui superborum Rex est, aptior est

Tres dispo-
sitiones
sunt ani-
mæ neces-
sariæ ad
recipien-
dum Spi-
ritum San-
ctum.

1.
Humilitas.

& habilior, quam ut Templum sit Spiritus Sancti, qui non requiescit, nisi super humiles. Hinc omnes vitæ spiritualis Magistri pro regulâ statuunt universali, nos majorem non habituros possessionem Spiritus Dei, quam habeamus veræ & solidæ humilitatis. Hinc quando examinare volumus aliquam devotionem, & cognoscere, an vera sit vel ficta, argumentum & experimentum certius nobis non est, quam illud humilitatis: quamprimùm vel minima vanitatis umbra advertitur, abundè est, nil aliud notæ inquiritur ad arguendum, animam illam à Spiritu Dei non esse possessam.

Quando Deus præparare & disponere voluit magnum Sanctum Simeonem Stylitam, ad tam sublimem perfectionis statum, ut difficulter obtineant fidem omnia prodigia, quæ in ipsius vitâ recensentur, habuit is somnium, vel potius in somno revelationem divinam, ubi videre sibi videbatur hominem venerandæ Majestatis, demandantem sibi, ut magnum quoddam erigeret ædificium, ac illud inciperet fodere & excavare fundamenta; obtemperat; adjicit manum operi magnâ cum defatigatione, ad eruendam terram; cumque jam sufficere sibi persuaderet, ipsi dicitur:

nondum satis est, profundius adhuc oportet fodere; majori ergo cum contentione opus repetit, fodit altius, & cum satis esse jam crederet, cessare voluit à labore: Nondum satis est, ipsi dicitur, perge, continua, altius adhuc fode; Cùmque sic quartâ vice laborem suum reiterare fuisset jussus, tandem vir ille insignis, hoc in negotio ipsius moderator, dixit illi: Satis est. Jam exstrue, erige & extolle ædificium, quantum volueris, usque ad Cælos id poterit pertingere.

Hoc tam ipsi, quam nobis documento erat, ab initio adnitendum nobis esse, ut de primamûs agnatam nobis arrogantiam; nosque humiliemus usque ad Cordis intima; imprimenda fortiter esse animo sensa ac desideria abjectionis nostræ; ad laborandum nobis strenue, ut nos annihilemus, & iterum annihilemus, & adhuc amplius annihilemus; & hæc in parte non facile ad excessum rapiemur, nec nimium concipiemus nostri ipsius contemptum; sed quantò altiora jecerimus fundamenta veræ & solidæ humilitatis, quantò firmior fuerit ac profundior hæc omnium virtutum Christianarum Basis, tantò majori replebit nos Spiritus Sanctus gratiarum suarum abundan-

undantia, quarum auxilio adificium perfectionis nostrae erigere & attollere poterimus usque ad fastigia Coelum, juxta certam illam Sancti Evangelii gnomen. *Qui se humiliat, exaltabitur.*

2. Verum non sufficit, animam esse humillimam; oportet humilitati adjungere maximam quoque puritatem; alias nunquam poterit evadere habitaculum Spiritus Sancti. Ah! quae ratione Corpora nostra esse poterunt Templum Spiritus Sancti, juxta effatum Sancti Pauli, nisi Caro nostra quodammodo cesset esse Caro, ut tota fiat spiritualis, id est, deinceps non amplius serviat propensionibus sensuum, sed purissimis affectibus Spiritus? Minima carnis spurcities indignam reddit animam inhabitatione Spiritus Sancti. Nonne enim jam olim ex ore ipsius Dei hoc prodiit decretum? *Non permanebit Spiritus meus in Homine in aeternum, quia Caro est.* Columba, quae Symbolum est Spiritus Sancti, cum non inveniret nisi putida cadavera, lutum ac coenum, extra arcam, non habuit, ubi requiesceret pes ejus, sed illic reversa est in arcam.

Cum Sancta Lucia magna cordis ac animi generositate Tyrannum paschasium alloquere-

tur, in stuporem is actus dixit illi: Non diu tibi hic erit loquendi ardor, alio mox loqueris idiomate; cessabunt tunc verba, cum ventum erit ad verbera; Cui virgo: Dei servis verba deesse non possunt, quibus a Christo Domino dictum est: cum steteritis ante Reges & Praesides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis. Quomodo, respondet Tyrannus, estne in te Spiritus Sanctus? speraverim, reponit Sancta; quia castae & pie viventes sunt templum Spiritus Sancti. At ille; jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus Sanctus deserat. Provoco te, inimice Dei, inquit Sancta, magno animi fervore ac zelo succensa: ut vim patiar, efficere poteris; ut malo consentiam, efficies nunquam: si autem invitam jusseris violari; Castitas mihi duplicabitur ad Coronam; Serto Virginitatis non amisso & gloriosi obtinebo palmam Martyrii. Spiritus Sanctus, qui puras defendit animas, velut spongas suas, haud permisit, ut perversum hoc Paschasii Consilium fuerit opere impletum.

Non nisi demonum est, immundorum Spirituum, Carnis sectari delicias, hisce se conjungere

gere ad extinguendum cum ip-
 sis Spiritum Dei. Sed divinus
 hic Spiritus, cum sit ipsa puri-
 tas, tantum exin horrorem con-
 cipit, ut ad hoc non nisi unica
 sit opus cogitatione, cum com-
 placentia in animo revoluta;
 non nisi opus unico verbo minus
 honesto, unico actu & purita-
 tis regulâ paulisper tantum ex-
 orbitante, quibus mox Spiritus
 Sanctus fugatur ab animâ; si-
 cut dicitur, quod apes attra-
 hantur bono odore Balsami, abi-
 gantur foetore cadaverum. O-
 portet ergo animam esse puris-
 simam sicut humillimam, ut
 sanctuarium esse possit Spiritus
 Dei.

3.
 Pax inter-
 ma.

Psal. 71.

3. Tandem requiritur, ut ani-
 ma sit pacifica & tranquilla. Pa-
 latium Sancti Spiritus, frontispi-
 cio suo insculptum gestat; *Fa-
 ctus est in pace locus ejus.* Ani-
 ma tumultu passionum agitata,
 inquietudine amoris proprii con-
 vulsa, quomodo esse possit Ta-
 bernaculum Spiritus Dei? Ipsius
 hic propriae rationis humanae
 respicitur Dominium, & intel-
 lectus naturalis excutitur ju-
 gum; Ipsa velut mancipium
 turbatis inseruit passionibus,
 ambitione inquietatur, avari-
 tia convellitur, voluptatibus fa-
 tigatur, legibus mundi oppri-
 mitur, amore proprio torque-
 tur, desiderii sensuum velut

tortoribus perpetuo flagellatur.
 Ah! quomodo in his perturba-
 tionibus recipere posset dulces
 Spiritus Sancti attractus, aut
 suavissimo lucis ipsius radio gu-
 bernari?

Inquietum hic forum est, ubi
 loris rejectis passiones animi tu-
 multuantur, mundus sedet ad
 Clavum, amor proprius jubet
 & imperat, sibi que facit obse-
 qui: hic forum est, ubi salus
 æterna venditur, omnia Cœli
 dona exponuntur mercatur, &
 vilissimo vaneunt pretio, minu-
 tiis, crepundiis. Ah! quantum
 abhoret ingentem fori hujus
 tumultum Spiritus Dei? *Non in
 Commotione Dominus.* Requiri-
 tur anima tam tranquilla & qui-
 eta, ut, sicut ros, Aristotele di-
 cente, unum ex meteoris, quæ
 ab astris formantur, vix non
 jucundissimum, impeditur mi-
 nimâ ventorum agitatione; sic
 etiam operationes Spiritus San-
 cti turbentur & omnino impe-
 diantur per minimam passio-
 num commotionem in animâ,
 quæ pacem non habet. Sed quis
 enarrare possit prodigia, quæ
 operatur Spiritus Sanctus in pro-
 fundâ animæ pace, quæ sese
 totam illi tradidit possidendam,
 seque totam illius permittit di-
 rectioni? *Spiritus ubi vult, spi-
 rat.* Ducit ipsam, quod vult, &
 sæpius introducit ipsam in pro-
 funda

funda myſteria arcanorum Dei, ubi feliciter ſe perdit, abs eo, quod ſciat, ubi ſit, vel quid faciat. *Spirat ubi vult*: nec ullus designare illi poteſt vias ſuas, nec præſcribere ipſi operationes ſuas, neque etiam dirigere divinos motus ac impulſus ſuos: ſunt hi tam mirabiles, tamque animæ abſconditi, ut ipſamet, quæ illos experitur, non cognoſcat. O millies bea-

tam animam probè humilem, probè puram, probè tranquil- lam! Eò quod pretioſa evadat poſſeſſio Spiritus Dei. Opera- tur hic in illâ tanta prodigia, ut tota æternitas ipſi non ſuffi- ceret omnem ipſius deguſtare dulcedinem, & ſe gratam pro collatis exhibere favoribus. Contendamus interim aliquid ex iis cognoſcere,

ARGUMENTUM.

1. *Anima, quæ habitaculum eſt Spiritus Sancti, poſſidet in ſe- ipſâ ſcaturiginem gratiarum*

ipſius.

2. *Is ipſi communicat tres magnos favores.*

ARTICULUS IV.

Prodigia, quæ Spiritus Sanctus clam operatur in animâ, ſunt innumera.

Qui ſibi ſumeret, omnia enarrare prodigia, quæ Spiritus Sanctus operatur in animabus, quas ſuâ honorat præſentiâ, abyſſo ſe involveret, unde nunquam exiret; oporteret ad hoc cognoſcere omnia arca- na intima, quæ commemorantur in vitis Sanctorum, oporteret legere & videre in omnibus cordibus prædeſtinatorum totam œconomiam cœleſtis Jeruſolymæ, quam hic ædificat in terris in ſecreto, & ſilentio ani- mi. Quemadmodum Templum Salomonis exſtructum fuit absque tumultu, & abs eo, quod perciperetur vel unicus ictus

mallei, eò quod lapides omnes jam alibi in remoto loco ita fuerant diſpoſiti, ut ad amuſſim deſtinatum occuparent locum, abs eo, quod vel minimâ indigerent reformatione; ita & Spiritus Dei diſponit hic in terris quemlibet Electorum & præparat ad obtinendum olim ordi- nem ac locum ſibi in auguſto & magnifico templo gloriæ deſti- natum, juxta conſilia æternæ ipſius prædeſtinationis. Et totum hoc negotium nec directio- nem habere, nec progreſſum facere poteſt, niſi per operatio- nem Spiritus Sancti: ita ut, quamdiu hæremus ſub directio- ne proprii noſtri intellectus naturalis, vel quocunquæ actio-

G g num

num nostrarum naturali principio, nihil efficiamus in magno salutis nostræ negotio.

Tres magni favores, quos Spiritus Sanctus concedit animæ se recipienti.

Dum decantat Ecclesia gratiosum illum hymnum in honorem Spiritus Sancti compositum, inter alia ipsum deprædicat, quod sit *Fons vivus*, abundans & inexhausta scaturigo, unde dimanent omnia gratiarum flumina, quæ sese diffundant ubivis in corda sibi aperta, nulloque obstaculo impedita. Felix anima, circumferens in corde suo, hanc vitæ æternæ scaturiginem! Vates Isaias nobis dicit, quod exeant inde septem flumina divinatorum omnino Spirituum, quos inter illos, qui dispositi fuerint, distribuit; qui sunt: Spiritus Sapientiæ, Spiritus intelligentiæ, Spiritus Consilii, Spiritus fortitudinis, Spiritus scientiæ, Spiritus pietatis, & Spiritus timoris Domini. Et anima, quæ Spiritus Sancti est habitaculum, ipsamet possidet abundantem hanc omnium bonorum æternalium scaturiginem. Integra requirerentur volumina ac flumina; sed ut illa complectamur intra limites unius tantum Consultationis, sufficit dicere; quod nunquam Spiritus Sanctus veniat in animam, ad habitandum ibi velut in templo suo, quin locupletet eam tribus favoribus tam raris ac pretiosis, ut nunquam nisi in

thesauris ejus reperiri possint. 1. Coronat ipsam velut Reginam, & tribuit illi supremum Dominium. 2. Sanctificat illam velut Dei Filiam, & largitur ipsi legitimum Jus ad hæreditatem Patris sui cœlestis. 3. Accendit illam velut Seraphim igne prorsus cœlesti.

1. Quod verum sit, Spiritum Sanctum venire in animam, ut ipsam coronet velut Reginam, & illam attollat ad dignitatem Sponsi supremi mundi Monarchæ, cognovimus experientiâ: siquidem, quid sibi vult innuere pompa ex unâ parte tantâ Majestate, ex altera tantis Mysteriorum plena, quâ descendere voluit super Apostolos in die Pentecostes? Historia Actuum Apostolorum non absque causâ annotavit, quod sederint omnes, quando ipsum receperunt, & quando adorandâ suâ præsentia replevit domum, invenerit omnes quasi in Thronis suis collocatos: *Replevit totam Domum, ubi erant sedentes.* Hoc planè stupendum videtur, quod Sancti Apostoli, qui probe agnoscebant Majestatem Spiritus Sancti, quæ persona est divina, ad quam dignè recipendam sese præpararunt per decem dierum solitudinem, qui noverant optime, quod omnem mereretur venerationem, ac reverentiam, non prostrati in terram, vel saltem

Cu
ign
per
Ap
run
rue

Or
Po

tem genuflexo ipsum receperint, sicut facere solemus, quando recipimus sanctissimum Sacramentum. Estne congruus & decorus hic corporis habitus, sedere ad recipiendum illum, quem velut personam divinam deberent adorare?

Cur lingua
igneâ su-
per capita
Apostolo-
rum appa-
ruerint?

Orat. de
Pont.

Sed Sanctus Gregorius Nazianzenus detexit nobis Mysterium hujus sessionis, dum scribit, decuisse, ut sederent, eò quod hæc sacra fuerit cœremonia, quâ Spiritus Sanctus de Cœlo veniens ipsos coronare voluerit tanquam Reges: *Propter Regiæ dignitatis Excellentiam*; Et inde est, quod se collocare voluerit super capita illorum, velut locum, quo gestari solent Coronæ. Sed observandum est, quod Coronæ, quibus ipsos honoravit, habuerint formam linguæ & non diadematis, ad significandum, quod regalis ipsorum potestas exerceri debeat verbis & non brachiis, quodque etiam hæc linguæ ex luce fuerint & igne, & non ex carne; ad innuendum, quod dominari in corda hominum non deberent, nisi prædicando Evangelium verbis lumine cœlesti fulgurantibus & igne divini amoris prorsus accensis: hæc ratione quoque agit invisibiliter cum omnibus animabus, cui beata fors accidit illum recipiendi; siquidem & ipsæ in totidem evadunt reginas, Et ecce quomodo:

Inprimis anima, quæ velut su-
prema Domina in parvâ mentis
suâ ditione & republicâ impe-
rat, nonne verè & reapte Regi-
na sit? Hic statuit illa leges pas-
sionibus suis, quas omnes impe-
rio rationis tenet subiectas:
Exin captivat rationem ipsam
sub obedientiâ fidei, omnes quo-
que sensus freno perfectæ mor-
tificationis tenet constrictos; &
denique hic judicat & condem-
nat omnes falsas mundi opinio-
nes, fallacia prudentiæ carnalis
dogmata, & omnia, quæ non
concordant cum sacris Spiritûs
Sancti motibus ac impulsibus.
Regina hæc est, eò quod nullâ
ratione subiectam se videat ty-
rannicis mundi legibus, quæ ho-
mines servitute constrictos te-
nere solent: Ubi Spiritus domi-
ni, ibi libertas; Regina denique,
Eoquod non agat amplius nec
ex timore pœnæ, sicut mancipia,
neque ex intuitu retributionis,
sicut mercenarii, sed solum
ex motivo amoris purissimi
erga Deum suum.

Asina ha-
bens Spiri-
tum San-
ctum est
verè Ro-
gina.

Mirum est, coronam, quam Re-
gina hæc capiti impositam ge-
stat, esse linguam igneam è Cœ-
lo. Lingua pari ratione duobus
inservit usibus: inprimis ad lo-
quendum, deinde ad gustandos
bonos sapes; Ipsa non gestat
hanc linguam in ore, sed super
caput, quod est membrum ma-
gis in Cœlum tendens & versus

Lingua ser-
vit ad lo-
quendum
& gustan-
dum.

astra elevatum; ad innuendum Spiritum Sanctum esse animæ se recipienti linguam cœlestem, quâ fiat idonea & loquendi res divinas ac cœlestes. An mirum ergo sit, nobis hanc deesse facultatem, & sæpius loquendi cum Deo in oratione, & rerum cœlestium degustandi saporem, cum hæc linguâ divinâ simus destituti, quæ ad utrumque foret necessaria. Lingua hæc est Spiritus Sanctus. Ah! quomodo haberemus Spiritum Sanctum, cum repleamur, quanti quanti sumus, Spiritu mundi & naturæ, quo incessanter impellimur ad loquendum idioma mundi, & degustandū nil aliud, nisi sensuum voluptates? In casum mundi affeclis occinitur: gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Ah! quomodo hunc gustent? Non habent hanc Cœli linguam, quæ degustandis rebus cœlestibus est necessaria. Non pertinet nec ad rationem, nec ad intellectus considerationem, bonos discernere sapes; hujus judicium duntaxat est penes linguam: nullam habebit vim longus & elegans discursus ad persuadendum, inveniri in Deo dulcorem, qui omnem creaturarum inducat oblivionem; nunquam id nōsse poteris, nisi gustaveris ipse; nunquam autem poteris gustare, nisi habueris Cœli linguam; hanc verò linguam non habebis, nisi re-

pletus fueris Spiritu Sancto. O Deus amoris, concede mihi Spiritum Sanctum tuum, & ineffabiles tuas degustabo bonitates, aliàs id facere non potero.

2. Primo huic favori, quo Spi-^{Spiritus Sanctus}ritus Sanctus locupletat ani-^{nobis dat} mam, dum ipsam, se recepto, ^{omnia cum nihil dare possit Deo.} coronat velut Reginam, adjicit secundum, non minoris sanè excellentiæ & emolumenti; & est, quod ipsam justificet, liberans ipsam à peccato; justificans sanctificet; implendo ipsam gratiâ; sanctificans divinam quodammodo reddat, adoptans illam infiliam Dei. Non igitur duntaxat residet super caput ipsius, ad honorandum ipsam velut corona; sed intrat quoque in cor ipsius, ad animandum vel vivificandum illud, tanquam ipsius anima & Spiritus; sicut & ad communicandum ipsi principium vitæ prorsus divinæ. Nam cum ipse procedat ex corde Patris & Filii, & omnia à duabus hisce personis accipiat, videns se nihil huic divinæ essentiæ sanctuario reddere posse, quamvis divitiis atque potentiâ par sit, nec in minimo cedat aliis duabus divinis Personis; quærit ubique animas, ex plenitudine suâ recipere & participare volentes, ut munificum sese exhibere possit Filiis ex eo, quod reddere non potest ipsorum Patri cœlesti, à quo omnia accepit. Ah si corda reperire

reperire esset tantæ aviditatis recipendi ab ipso dona sua, quanto is ardet hæc conferendi desiderio, quàm divites ipsius donis essemus.

Ad declarandum hujus thesauri, quo locupletat animam in instanti, quo ipsam gratiâ suâ sanctificat, pretium ac valorem; cum hoc ab intellectu humano in vitâ præsentî, ubi parum nobis est luminis, comprehendi non possit, verbis quoque caremus ad explanandum idoneis. S. Thomas pro certo affirmat, minimum gradum boni supernaturalis, quo Deus ditat animam, quam per gratiam Spiritus Sancti justificat, ante cellere omnem bonorum naturalium, quæ inter omnes creaturas est dispersit, multitudinem ac præstantium: *Bonum gratia unius majus est, quàm bonum natura totius universi.* Mira certè verba, ac verè digna, quæ ubivis locorum aureis exarentur literis, ut abs intermissione versentur ob oculos & profundè nostris insculpantur cordibus. Haud majorem exoptarem animæ felicitatem, quàm ut probè nôset & gustaret, quanti ponderis ac momenti sit hæc veritas; impossibile foret, quin maximam bonorum supernaturalium sibi à Spiritu Sancto communicatorum conciperet æstimationem; econtra maximo haberet despiciatui omnes mundi vanitates.

O mi Deus! quantâ igitur laboramus ignorantia! ut quid & corpus & animum affligimus ita, ad obtinendam tam vilem ac tenuem boni terrestris portionem? Si totum simul haberem mundum, quid esset respectu unius gradus gratiæ Spiritus Sancti, si fors contingeret eundem possidendi? Unica Sancti Thomæ auctoritas cumulatè fat esset, ad id efficaciter mihi persuadendum, sed hujus tam evidens est ratio, ut vel parum duntaxat considerata convictura sit intellectum, cui vel mica sit salis. Nam si unicum solum gratiæ sanctificantis habuero gradum, huncque conservavero usq; ad mortè, certa ac secura mihi est æterna infiniti boni possessio, ipse nimium Deus. Verùm si solus possedero universum hunc mundum & mille alios huic æquales, illosq; conservavero usq; ad fata, privatus autem fuero gratiâ Dei mei, nihil in æternum mihi superstes erit, nisi funesta ac deploranda boni infiniti carentia. Ecce ergo magni pendam omnium bonorum naturalium possessionem, cum omnia simul nec ohtinere unico momento mihi possint possessionem Dei? Et quanti æstimem minimum gratiæ sanctificantis gradum, quæ certò certius mihi in omnem æternitatè comparabit & acquirat Dei possessionem.

Mi Deus! quàm parùm luculentæ

G g. 3.

Cur minimum bonum gratiæ præferatur toti naturæ.

Bonum gratiæ excellit omnem naturam.

D Thom. 1.2 q. 113. a. 9.

lenta hæc veritas est nota hominibus? Ah! si probè illam cognoscerent; si, quanti sit ponderis, seriò perpenderent, an pro universo simul mundo, an pro centenis mundorum millionibus, si creati forent, perdere vellent vel unicum sanctificantis gratiæ atomum? Et quotidie deficiente huius veritatis cognitione, vel etiã seriã, quanti momenti sit, ponderatione, in tantum gratiam Dei adducunt contemptum, ut illam pro rebus nihili, pro nugis ac crepundiis amittere non vereantur.

Spiritus Sanctus impellit animam ad amandum Deum.

3. Tandem Spiritus Sanctus, qui totus est ignis, totus Amor, totusque ac infinitus cordis ardor Patris & Filii; *Fons vivus, Ignis, Charitas*, veniens in animam, tam sancto accendit ipsam ardore, ut quasi ardentem induat & evadat in Seraphinum. Ignis esse non potest, quin comburat, si materiam inveniat combustibilem, dilatat se & accrescit, & quantò plus combufferit, tantò plus vult adhuc comburere; famis est insatiabilis, nec unquam dicet: sufficit. Est pari ratione impossibile amorem habere & amare non velle. Anima Spiritu Sancto repleta, suscipit in corde suo eundem amorem, per quem Pater & Filius abs intermissione & infinito modo se invicem amant per totam æternitatem. Si igitur in corde suo

eundem portet amorem, per quem Deus infinito modo amatur intra semetipsum, quomodo fieri possit, quin singulis momentis ipsius ignis accrescat, cum amandum tale inveniat subiectum, quod nunquam tantum amari potest, quantum est amabile? Nonne necesse sit, ut quantò plus amat, tantò plus amare velit, abs eo, quod unquam desistat, abs eo, quod relaxetur, abs eo, quod unquam dicat: sufficit; satis est amatum.

Omnes virtutes inclinant ad producendos actus sibi proprios. Liberalitas inclinat ad donandum; patientia inclinat ad tolerandum; Justitia inclinat ad reddendum unicuique suum; humilitas inclinat ad recipiendum quemvis contemptum: Et sic de aliis virtutibus. Sed Sanctus Thomas tenet, nullam virtutem tam fortem, tamque dulcem habere inclinationem ad producendos actus suos, qualem habet amor Dei; sed nec ullam in Exercitio suo tantam gustare suavitatem, quantam hic Amor gustat in suo: *Nulla virtus, inquit ipse, habet tantam inclinationem ad suum Actum, sicut Charitas; Nec aliqua ita delectabiliter operatur.* Spiritus Sanctus animam inhabitans, est velut sacra flamma nunquam non in Coelum tendens, & animam abs intermissione impellens ad aman-

Charitas producit actus suos faciliter & cum voluptate.

D. Th. 2. 2. q. 23. art. 4.

amandum Deum suum : quod si fideliter divinos ipsius secuta fuerit attractus, tantâ perfunderetur voluptate, ut totus simul mundus facultatem non habeat, talem vel unquam conferendi.

Cor fruatur voluptate divinâ in Deo ipso, dum ipsum amat.

Sanctus Augustinus in illa Scripturæ verba; *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*; profert sequentia seraphico corde magni hujus Doctoris dignissima: Intelligant, si Filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant, & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant, & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem, quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Hucusque Sanctus Augustinus, per quæ verba vult dicere: Filii Dei, si Spiritu Dei aguntur, hoc non fit, ut maneat ipsi immobiles; sed ut cor suum in ipsum effundentes, aspirent ad degustandum abundantius suavitatem Spiritus ipsius, quo aguntur & impelluntur ad faciendum cum voluptate omnes voluntates ejus; & si semel omnem voluptatem suam collocaverint in rebus divinis, agnoscant, omnem voluptatem hanc esse merum Donum Dei, & Dominum esse, qui

ipsis hanc dederit suavitatem. Nostri oculi voluptatem habent, videndo pulchritudinem colorum & lucis; nostræ aures delectationem inveniunt in dulcedine soni & harmoniæ; sed nihil par est voluptati, quâ afficitur Cor amando id, quod est amabile; Et si semel inceperit amare Deum suum, incipiatque gustare & cognoscere eum, quem amat, quantum adorandum hoc objectum in bonitate transcendit omne id, quod est extra ipsum, tantum & gaudium cordis ipsum amantis, transcendit gaudia omnia, quæ degustari possunt in creaturis.

Quam excusationem afferre valemus, nisi perpetuò maximum quod boni operis præstare possumus, in præsentî hac vitâ, exerceamus? Nam si occasiones exteriores nos destituant agendi quid boni, vel tolerandi quid mali, vel exercendi aliquam virtutem, vel portandi crucem Domini nostri: nonne semper habemus mentam nostram, quæ templum est Spiritus Sancti, ubi nos recolligere possumus cum ipso, reluctantibus frustra creaturarum impedimentis, quibus circumcingimur, & liberè hic exercere actus, adorationis, fidei, spei, & præcipuè amoris Dei? Nihil tam est facile, nihil tam est delectabile; sed & nihil tam est heroicum, nihil tam magni-

Anima non amans Deum est inexcusabilis.

magnificum, cum unicus ejusmodi actus multo majoris sit pretii, quam si millena occupassemus imperia.

Agedum, anima mea; si Deum amamus, possessione fruimur divini ipsius Spiritus; namque id promisit nobis: *Si quis diligit me, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; Et si Spiritus Sancti possessione fruimur, nimis quam divites sumus; nihil curemus cætera, sed

benè magno hoc thesauro utamur. Ipse totus est amor, & amor infinitus Patris & Filii; Et si noster est, est & noster proprius amor. Amemus Deum per magnum hunc amorem, & nunquam cessemus ipsum magis & magis semper amare. Laboremus infatigabiliter modico hoc, quod restat nobis, tempore; Beata æternitas, quæ nos exspectat; Si Deum amemus, sat longa erit, ad indulgendam nobis requiem.

CONSULTATIO X.

De Reciproca & mutuâ divinarum Personarum in habitatione, quam Theologi Circumfessionem appellant.

Incomparabili laborat tamen intellectus noster cognoscendi veritatem, cujus quanto plus cognoscit, tanto plus adhuc cognoscere polcit; quanto magis se hanc adimplere molitur, tanto magis se illâ evacuatam experitur, & quidquid faciat, nunquam se satiatum, nunquam sibi credit satisfactum. Id inde est, quod natus sit pro veritate infinitâ, cujus fruitio constitutere debet ipsius beatitudinem, & perfectam ipsius requiem in omnem æternitatem, hanc ubique indagat, sed sæpius aberrat, & loco veritatis, non nisi

prosequitur vanitatem, & sacra hæc fames, quâ impelli debuerat ad Deum, degenerat in vanam curiositatem, qua procul à Deo recedit, quâque incessanter affligitur. Nihilominus divina misericordia, quæ è malis nostris potest elicere bona, utitur quandoque ipsismet illius erroribus ad reducendum ipsum, & supremam veritatem ibi feliciter invenire facit, ubi non nisi vanitatem inquirebat.

Quemadmodum accidit tribus præclari & acuti ingenii juvenibus, qui postquam per aliquot annos humanarum scientiarum studiis

Occ
San
cuj
mit
ofre
iplo
cob
quo